



SACRA CONGREGATIO  
PRO SACRAMENTIS  
ET CULTU DIVINO

Prot. CD 225/81

VICARIATUUM CASTRENSIUM

Sanctum Ioannem de Capestrano, qui ex Ordine Fratrum Minorum presbyter praeclaris virtutibus praeditus fulgens exemplar exstitit illorum praesertim, quibus pastorale concreditur apud milites ministerium, Curiones seu Cappellani Militares diversarum nationum peculiari necnon assiduo cultu prosequuntur.

Inde Excellentissimi Domini Vicarii Castrenses sive orientalium sive occidentalium regionum, communia vota excipientes atque consilio facto cum respectiva Conferentia Episcoporum in propria natione, electionem Sancti Ioannis de Capestrano, presbyteri, in universalem apud Deum Patronum omnium Curionum seu Cappellanorum Militarium totius orbis rite approbaverunt. Iidem vero, litteris decursu annorum a 1981 ad 1983 ad hanc Sacram Congregationem missis, enixe rogaverunt ut electio et approbatio huiusmodi, ad normam "Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis", n. 30, confirmarentur.

Sacra porro Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice IOANNE PAULO II tributarum, attentis expositis, cum electionem et approbationem ad iuris praescriptum peractas esse constet, precibus annuit atque SANCTUM IOANNEM DE CAPESTRANO, presbyterum, Curionum seu Cappellanorum Militarium totius orbis apud Deum PATRONUM confirmat, omnibus cum iuribus et liturgici privilegiis iuxta rubricas consequentibus.

Per Apostolicas Litteras in forma Brevis expediendas.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, die 10 februarii 1984, Anno Iubilaeo humani generis Redemptionis vertente.

*Josephus Card. Casoria,*  
(Iosephus Card. Casoria)  
Praefectus

*Vergilius Noè*  
(+ Vergilius Noè)

Archiep. tit. Vancariensis

a Secretis